

**De herniâ inguinali incaraceratâ : thesis, quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi, praesentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur, die [...] anno 1827 / Julius Hatin.**

### **Contributors**

Hatin, Julius.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Parisiis : Excudebat Hippolytus Tilliard, 1827.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jhvgzkpk>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

26.

# COMPETITIO

AD

## AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIAE  
UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIII.

*De herniâ inguinali incarceratedâ.*

## THESIS,

QUAM, DEO FAVENTE, IN SALUBERRIMA FACULTATE MEDICA PARISIENSI, PRÆSENTIBUS  
COMPETITIONIS JUDICIBUS, PUBLICIS COMPETITORUM DISPUTATIONIBUS SUBJICIET ET  
DILUCIDARE CONABITUR,

Die anno 1827,

**JULIUS HATIN,**

CELEBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS MEDICINÆ DOCTOR,  
NOSOCOMIORUM DISCIPULUS.

**PARISIIS.**

EXCUDEBAT HIPPOLYTUS TILLIARD,  
Via dictâ la Harpe, n° 78.

M. DCCC XXVII.

# JUDICES DISPUTATIONIS.

D. D. ESQUIROL, *Præses.*

BOYER.

DUPUYTREN.

RICHERAND.

MARJOLIN.

DESORMEAUX.

CRUVEILHIER.

CLOQUET.

MURAT.

DENEUX.

RIBES.

*Vicarii.*

## COMPETITORES.

D. D. PATRIX.

MAINGAULT.

COLOMBE.

BELMAS.

BAUDELOQUE.

BURET.

CORBY.

LEROY.

BLANDIN.

GRAND.

BERARD.

HATIN.

DUBLED.

---

# COMPETITIO

A D

## AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ  
UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIII.

---

### DE HERNIA INGUINALI INCARCERATA.

---

ANTEQUAM de herniâ inguinali incarceratâ dicam, opportunum mihi videtur designare, 1º numerum et dispositionem foraminum per quæ hernia ista erumpere potest, seu apud hominem, seu apud fæminam; 2º partes quæ exire possunt abdomine per annulum inguinale, aut in circuitu hujus annuli; 3º varias dispositiones tumoris, et involucrorum; 4º denique relationes herniæ cum vicinis partibus. Tales considerationes nostræ propositioni apprimè convenient, et si quis rem in dubio poneret, quod et ipsi fecerunt doctissimi hujusce facultatis professores, in exemplum afferrem.

# PARS PRIMA.

## FORAMINA PER QUÆ ERUMPUNT HERNIÆ INGUINALES.

Herniæ inguinales erumpere possunt , 1° per canalem inguinalem ; 2° directè per annulum magni obliqui , repellendo peritonæum fossæ inguinalis internæ et fasciam transversalem (*Scarpa , Hesselbach*) ; 3° infrà aponeuroses musculorum transversi et obliqui interni (*professor Marjolin*) ; 4° per fibras columnarum (*J.-L. Petit*).

### DE CANALE INGUINALI.

Sic vocatur spatium quoddam , internæ parti plicaturæ inguinis superpositum , abdominis parieti anteriori infixum , quæ transit funiculus testicularis apud virum , et ligamentum rotundum uteri apud fæminam. Hujus canalis externum foramen *annulus inguinalis* propriè dicitur , aut *annulus inguinalis externus* (1) ; cuius os internum *annulus inguinalis internum* denominari potest. Paries abdominalis , qui hic solùm constat aponeurosi musculi obliqui externi , et paucis obliqui interni fibris , intùs et foris confirmatur duabus expansionibus cellulo-fibrosis , scilicet *fasciâ superficiali* et *fasciâ transversali*.

*Fascia superficialis* est tela cellulosa et aponeurotica quæ subjicitur

(1) Foramen istud , ut observat Dr. *Julius Cloquet* , præbet , seu magnitudine , seu formâ , seu vi fibrarum quibus circumdatur , multas varietates quæ modificationes plurimas afferunt in dimensionibus canalis inguinalis , atque in origine herniarum , nec non in constrictionibus quibus , ut aiunt , herniæ incarcerantur.

tegumentis regionis inguinalis ; adhæret in linea medianâ cum membranâ lateris oppositi ; supernè continuatur cum telâ cellulari quæ vestit musculos abdominis ; infrâ descendit usquè ad femur, in scrotum et perinæum , et demùm sese confundit cum telâ cellulari harum partium. Hæc tela passim componitur multis laminis inter quas paululum adipis sese infundit, quæque continent, in inguine, glandulas inguinales superficiales. Laminæ profundæ , quæ manifestius fibrosæ apparent, quâm quæ superficiales sunt, passim è plurimis partibus aponeurosis *fasciæ latæ* oriuntur.

*Fascia transversalis* peritonæo regionis inguinalis superponitur, et faciei internæ muscularum abdominis. Hæc membrana, intus et inferius fortior quâm alibi, adhaeret limini externo tendonis musculi recti et arcuationi crurali, rependo super plicaturam hujus arcuationis vulgò dictam *ligamentum Gimbernat*. Foris, ea sequitur arcuationem cruralem usque ad iliacam spinam anteriorem superioremque ; simulque se cum aponeurosi iliacâ confundit. Superius, ea paululum minuitur et evanescit in telam cellularem quâ teguntur musculi recti et transversi abdominis. Quæ tertia pars interna arcuationis cum duabus de tribus externis jungitur ; fibræ hujusce fasciæ inter se distant foramine quodam, quod fissuræ longitudinali simile est, et cuius limen internum multò fortius est quam externum. Foramen illud principium dat *canali inguinali*, sive *annulo inguinali interno*.

Simile intervallum ex quo formatur *annulus inguinalis externus*, videre est in aponeurosi musculi obliqui externi. Hoc intervallum sive foramen, oblique se promittit supernè et externè, et extremitate inferiori pubi adjacet, spinam inter et hujus ossis angulum. Cujus latus externum aut inferius, arcuatione crurali formatum, adhæret priori harum summatum ; latus autem internum sive superius angulo et symphisi pubis sustinetur, ubi se suspendit *rectus* musculus : fasciculi quibus utrumque latus componitur vulgò denominantur *columnæ annuli*. Quarum prima, scilicet externa, ar-

ctior et fortior est quām interna : ista sese confundit in linea medianā , cum columnā adversi lateris. Citrā annulum , columnæ junguntur fibris transversalibus , quæ , ut observat *J. Cloquet* , magis apparent apud hominēm quām apud fæminam.

Ex eo quod diximus , facilè constat *annulum magni obliqui* et *fasciam transversalem* non invicem opponi rectâ viâ , obliquum verò in tramitem : quique trames *canalem inguinalem* format. Ergo canalis iste , nihil aliud est nisi intervallum quod dividit aponeurosim magni obliqui et fasciam transversalem , ex foramine prioris usque ad foramen alterius (1). Sustinetur arcuatione crurali , cui adhæret parietibus anteriori et posteriori , sursùmque terminatur limine inferiore muscularum parvi obliqui et transversi , collocatorum inter magnum obliquum et fasciam , atque sat fortiter isti adhæret. Ejus directio paululum intersecat directionem arcuationis cruralis ; ejus extremitas interna seu inferior vergit ad cutem , externa verò et superior vergit ad peritonæum. Interior pars hujusce canalis tegitur prolongatione fasciæ transversalis , quæ se disjungit à circumferentiâ foraminis hujus aponeurosis , et ultrà annulum magni obliqui evadit.

*Canalis inguinalis* repletur *funiculo testiculari* qui sequitur eamdem directionem ad exequendum pariete abdominali (2). Hic funiculus fortiter adhæret fasciæ transversali , eo loco ubi transfigit eam , vestiturque quādam vaginâ quæ oritur ex *fasciâ*. In ipso canale , fibræ aliquot muscularum parvi obliqui et transversi qui formant *musculum cremasterem* , se jungunt huic primo involucro , ut ita dicam ; denique , circâ magnum obliquum , lamina tenuis se dividit è circumferentiâ hujus

(1) *D<sup>r</sup> J. Cloquet* ait hunc canalem longum esse pollice et dimidio.

(2) Sed , ut observat *J. Cloquet* , antequām ad superius foramen hujus canalis perveniat , et postquām foramen externum aut inferius transierit , funiculus testicularis aliam directionem affectat : ita ut tres partes funiculi quamdam similitudinem habeant cum litterâ Z obliquè positâ.

foraminis, et circà funiculum continuatur. *Fascia superficialis* hanc ultimam vaginam secernit à tegumentis. Expansiones quæ sic funiculum circumveniunt, descendunt usquè ad testiculum, et hujus organi membranas comitantur.

*Arteria epigastrica* plures et arctas connexiones habet cum pariete posteriori *canalis inguinalis*. Postposita funiculo vasorum spermaticorum et forami fasciæ transversalis, in ipso foramine jacet circumdata aliquot fibris fasciæ transversalis, et magis externa quam annulus inguinalis externus. Indè patet, cùm in herniis inguinalibus, viscera penetrant in canalem inguinalem, viam sequendo funiculi, hanc arteriam postponi collo sacci; dùm, si hernia sequatur rectum iter, debellatâ oppositione fasciæ transversalis, quæ claudit annulum inguinalem externum, arteria sita erit in extero latere colli sacci.

Imò verò, in priori casu, *arteria epigastrica*, sensim et cum tempore, veram locomotionem patitur; magis atque magis intùs se immittit, dilatatione et variatione directionis canalis; ex eo fieri potest ut internæ faciei annuli inguinalis objiciatur, nedùm annulo exterior maneat.

*Peritonæum*. Aspicitur in peritonæo, propè parietem posteriorem canalis inguinalis, plicatura, quæ continet arteriam umbilicalem, et in utroque latere hujus plicaturæ, depresso quædam vulgo dicta fossa inguinalis. Fossa inguinalis externa ponitur hic ubi funiculus vasorum spermaticorum sese infundit in foramen fasciæ transversalis; interna objicitur annulo magni obliqui, quo solâ fasciâ secernitur. Tela cellularis quæ jungit in hoc loco peritonæum fasciæ transversali, sat mollis appareat, et paululum adiposa apud obesos.

*Apud fæminam*, ligamentum rotundum uteri disponitur eodem modo quo funiculus testicularis in canale inguinali; sed cùm minus volumen habeat, canalis quæ transit, arctior est quam apud hominem.

*Apud puerum*, canalis inguinalis brevior est, et funiculus trajicit parietem abdominalem rectiori viâ quam apud adultum. Peritonæum

continuatur in interiori parte hujus canalis, quamdiu vaginalis tunica non separatur ab istâ membranâ.

---

*1º Herniæ per fossam inguinalem internam. 2º Herniæ infrâ aponeuroses muscularum obliqui interni et transversi.*

---

*Scarpa*, secundum *Hesselbach*, putat herniam posse erumpere per fossam inferiorem peritonæi, et sic transire per annulum inguinale, haud trajiciendo canalem ejusdem nominis. Idem genus herniarum fieri posse arbitrantur plurimi auctores; sed dubitat professor *Marjolin* utrùm hernia inguinalis interna semper fiat eo modo quo *Scarpa* arbitratus est. Nonne accidere potest, ut in violento conatu, in lapsu super pedes, genua, tuberositates sciaticas, ventrem, aut per ictum strenuum regionis sub-umbilicali illatum, intestina evadant subito, transeundo infrâ aponeuroses transversi et obliqui interni, nedum transeant per istarum aponeurosum fibras dimotas? Rem fieri posse arbitratur professor *Marjolin*, et putat, præsertim in eo casu, funiculum posse anteponi herniæ; quin imò obliquè ei objici ex parte externâ in internam, et superiori in inferiorem. Plurimis factis nititur ad confirmandam opinionem, et inter alia, iis præcipue quæ tradidere *Schumcker* et *Juville* (1).

---

#### *Herniæ per fibras columnarum.*

---

*J. - L. Petit* (*Opera posthuma*) vidit tumorem herniarium qui transierat inter fibras columnæ externæ annuli, olivæ magnitudinis instar, cuius formam et duritiem habebat. Factum istud in dubio ponit *Scarpa*, quod anatomicâ inspectione non fuerit confirmatum; *Petit* verò id negat. Hic inclitus operator aliam observavit herniam, quæ, haud dubio, eodem modo eruperat per columnam internam annuli, eamque reduxit.

---

(1) De bracherio herniario.

PARTES QUÆ IN HERNIAS ERUMPERE POSSUNT PER  
ANNULUM INGUINALEM.

Ferè omnia viscera quæ in abdomen continentur possunt hernias formare per annulum inguinalem, sed sæpissimè reperiuntur illa quæ sunt maximè mobilia; noster professor *Marjolin*, ex observatione, dicit, illorum dimotionis frequentiam distribui posse in ordine sequenti: *ileum, epiploon, S iliaca coli, jejunum, cœcum, pars transversalis coli, partes ascendentes et descendentes hujusce intestini, vesica urinaria, annexa uteri, stomachus, duodenum, splen, uterus.*

*Pott* (1), de frequentiâ dimotionis viscerum abdominalium, quoquè dixit; et cùm attento animo hunc auctorem legimus, persuasum habemus illum non aliter sentire ac professor *Marjolin*.

Inter viscera abdominalia, sunt quædam, ut *colon* in dexterâ parte, situs et *arcus* hujus intestini, *stomachus*, *duodenum*, *splen*, quæ solùm in herniis inguinalibus compositis et maximè voluminosis reperiuntur, ubi trahuntur aliis partibus priùs dimotis (2). Aliæ partes canalis intestinalis *epiploon*, *vesica* (3), *uterus*, ejusque *annexa* (4) possunt contrà reperiri sola in tumore herniario. Nunc omnibus manifestum est, viscera posita in uno ex lateribus abdominis, non semper exire hâc cavitate per annulum inguinalem objectum, et sunt exempla satis numerosa herniarum *cœci*, per annulum inguinalem lœvum (5) et *Scoli*, per annulum inguinalem dexterum (6).

(1) *Pott*, *Opera chirurg.*

(2) *Schwenke*, *De operatione inguinali.*

(3) *Com. Acad. chirurg.*

(4) *Chopart et Desault*, *de morbis chirurg.*

(5) *Mombalan*, *Diar. medi.*; *Mauchart*, *de Herniâ incarceratâ*, in *Hall*, *Desp., Chir.*

(6) *Mery*, *Acad. scient.*; *Lassus*, *Med. operat.*; *Pelletan*, *Cliniq. chirg.*

Pariter constat observatione, per annulum inguinalem dexterum, *intestinum gracile* s̄epissimè evadere; et hernias formatas *crasso intestino et eiploone*, frequentissimas esse èx parte lævâ.

Visæ sunt aliquot herniæ inguinales, constitui *appendice longo multis pollicibus nato ex intestino gracili* (1). Schwencke communicavit Academiæ Harlem, observationem herniæ formatæ solùm *appendice cœcali*.

*Herniæ adisposæ* inguinis, frequentiores, non magis quām herniæ appendicis cœcalis, incarcerari possunt.

Ex præcedentibus, sequitur, variis partibus in abdomine contentis, posse produci hernias, nunc simplices, nunc complexas, quas multū refert discernere, præsertim cùm incarerantur.

## ANATOME HERNIARUM INGUINALIUM.

### SECTIO PRIMA.

ANATOME HERNIÆ INGUINALIS, CUM PARTES, EX QUIBUS CONSTAT,  
NULLAM IN ORGANISATIONE MUTATIONEM EXPERTÆ SUNT.

### DE PARTIBUS HERNIAM INVOLVENTIBUS.

Plurima quidem numerantur herniæ inguinalis involucra membranosa; sed, ut præclarè à professore *Marjolin* observatum est, non sempèr aliam ab alterâ, discernere facile est.

In vulgari herniâ, sex tunicis involvuntur viscera quæ ex abdomine eruperunt. Illæ autem tunicæ, ab externâ in internam partem insipienti offerunt: 1º cutem; 2º telamcellularem sub-cutaneam; 3º fibro-cellulosum canalem qui è circuitu annuli oritur, ac in infimam partem inguinis vergens, totum funiculi circuitum, usque ad testiculum amplectitur; 4º musculum cremasterem; 5º telam

(1) Mery, Acad. scient., an 1701.

cellularem subjacentem; 6º tandem quamdam peritonæi in sacci formam extensionem, vel, ut plerique contendunt auctores, sacculum herniarem propriè dictum. In plerisque herniis, ità inter se adhærent quatuor intima tegumenta, ut divelli prorsùs nequeant.

Quæ verò partes sub cute jacent, non semper unam eamdemque crassitudinem offerunt: haud rarò videre est, inter fibras cremasteris, quasdam disjunctiones inter quas prosilit tunica peritonæa, præsertim quùm magna seri copia in herniarem sacculum effusa est. Projecturæ illæ aut potius exigua tubercula, parumpèr deprimuntur; proprium colorem præbent, et non eodem modo quo cæteræ partes contiguæ renitent. Tenuissima translucensque est textura quâ formantur. Quùm verò apparent, tunc ibi excidendum est herniaris sacculus, si timeatur ne sacculo adhæreat intestinum; nullum indè periculum. *Saviard* (1) primus hanc observationem in lucem produxit; sæpiùs animadvertisit *Dom. Dubois*, illamque veram, in herniarum dissectione, haud semel expertus est *professor Marjolin*.

---

#### DE HERNIARI SACCULO PROPRIÈ DICTO ( PERITONÆUM INVOLUCRUM ).

Herniari sacculo significatur involucrum illud quod antè se emitunt partes è loco suo dejectæ.

In sacculo discernuntur *collum*, *corpus* et *fundus*. *Collum* autem illa est sacculi pars quæ annulo respondet; *corpus* constat totâ parte quæ extrâ *collum* apparet; *fundus* verò infima est sacculi pars collo opposita.

*Externa facies.* — Externa sacculi facies solitò proximis partibus, telâ cellulari laxâ, connectitur; undè illam à cæteris sejungere facile est; ipsis verò aliquoties conjunctissimè adhæret.

Ex professore *Marjolin* fieri potest, in recentioribus herniis, ut nullum adhærentiæ vestigium appareat.

---

(1) Collect. obs. chirurg.

*Facies interna.* — Levigata est facies interna, et sero tanquam peritonæum lubricatur.

*Forma.* — Sacculus in inguinalibus herniis sæpissimè piriformis est, aliquoties cylindraceus; rarò globosus.

*Amplitudo.* — Benè multæ animadvertuntur amplitudinis sacculi varietates; si quidem è minimâ, ad eam capacitatem quæ viscerum abdominis maximam partem contineat, dilatetur sacculus.

*Sacculi cum collo.* Gallicè *sacs à collets*. Haud rarum est incidere in sacculos qui strangulationes circulares offerrant. Hoc quidem fieri potest, aut propè, aut infrà, aut suprà annulum inguinalem.

Plurima in auctoribus (1) occurrunt exempla hujus rerum dispositionis, quæ chirurgi sedulam provocat attentionem. Illud præsertim animadvertendum est, scilicet collum simplex aut multiplex, sæpiùs in congenitalibus quàm in inguinalibus herniis inveniri. Adscribendum ne illud est factum propensioni sese contrahendi quàm præditum est vaginalis tunicæ collum? Nonne potius, ut existimat professor Marjolin, requirenda causa est in incuriâ quàm suas hernias continent, qui, à teneris annis, istâ invaletudine affecti, nullum unquàm grave incommodum indè passi sunt?

#### DE PARTIBUS IN SACCULO HERNIARIO CONTENTIS.

Intestinum solum aut epiploon solum, aut ambæ illæ partes una herniarem implet sacculum, nec ullo modo inter se adhærent. (Suprà diximus, maximam viscerum partem, in sacculo illo posse contineri.) Si vulgaris sit hernia, tunc nulla ipsi est cum vaginali tunica

(1) Ledran, Arnaud, de Herniis; Leblanc, Nova méthod. oper. Hern.; Lafaye, Adnot. de oper. Dionis; Pott, de Herniis; Richter, de Herniis; Sandfort, Museum Anat.; Sabatier Med. opérat.; Pelletan, Clin. chirurg.; Scarpa, Traduct. du Doct. Cayol.

communicatio ; si verò sit congenialis , tunc partes herniam patientes testiculum , nihilo interposito, contingunt. Haud rarò hujuscemodi hernia strangulatione afficitur.

Variam aliundè seri copiam continet herniaris sacculus ; et aliquoties ità affluxit liquor ut multùm tumoris augeat amplitudinem. Non infausta verò hæc morbi complexio ; namque quum strangulationem patitur hernia , lentiùs procedit inflammatio et minùs pertimescenda est gangræna (1). Si fiat necessaria operatio , faciliùs tunc et minùs periculosè , omnibus ponderatis , efficitur , quām si nihil aut parum liquoris in sacculo contineatur. Casus ille rarò occurrit , nisi quum subitò erupit hernia , aut ab ortu acriter strangulata est. Natura liquoris fit varia , ex bonâ aut malâ viscerum valetudine. Qua propter eo momento quo effluit liquor , sat certè præjudicatur de statu partium quibus tumor conflatur.

### HERNIÆ SINE SACCULO.

Non omnibus herniis inest herniaris sacculus. Facta , pauciora quidem , collecta sunt ex quibus constat peritonæum aliquandò disrumpi posse , si duro et magno corpore violentè coutundatur : tunc fieri potest intestina et epiploon simul per naturalem abdominis hiatum , aut , laceratis musculis , per rimam peritonæi erumpant , et sub cute tamen compressa remaneant (2). Sed sæpiùs observantibus apparuit sacculus peritonæus violentâ et repentinâ tumoris compressione disruptus : in ipsius hiatum sese inseruerat

(1) J.-L. Petit, De morb. chirurg.

(2) Hujusce generis exemplum legitur in Diario Chirurg. à Dessault. Alterum quoque enarratur Diarium univ. Medicinæ. In hoc ultimo casu dilaceratum fuit scrotum.

intestinum ; herniaque brevi tempore mirum in modum intumuerat.

J.-L. *Petit* (1) hujus facti notandum refert exemplum. *Dom. Remond* observationem huic facto consentaneam *Diario medicinæ* mandavit. *Cruwelhier professor*, duo pariter enarrat exempla (2).

Haud invenitur saccus peritonæus , in inguinalibus herniis quæ solummodo formantur abdominis viscerum partibus in quas non explicatur peritonæum. Hanc dispositionem offerunt, pars *vesicæ* anterior et intestini *cæci* pars *externa* et posterior. Qui verò , antequam operetur, quodnam herniæ genus intersit, discernerè neglexerit, is *intestinum cæcum* , aut *vesicam* excidendi adibit periculum : undè oriri possunt gravissimæ consecutioñes, ac etiam mors ægrotantis. Hujusmodi eventus historia ab *Arnaud* relata (3), magnopere cavendum esse in dubio , satis demonstrat. Non semper, ex aberratione in dignosi , tanta ægrotantibus accidunt detrimenta (4); sed ea extare satis est , ut sedulus ac prudens chirurgus diligentè ab eis caveat.

---

PER BUNDEM ANNULUM ERUMPERE POSSUNT DUO HERNIARII SACCULI.

Ex *Richteris* sententiâ (5), non nunquam , pro herniis inguinalibus duplicitibus, observatæ sunt herniæ duæ, haud multum à se distantes , quarum una inguinalis , altera vero cruralis ; aut etiam duæ herniæ , altera inguinalis et altera columnæ externæ fibrarum distractione

---

(1) De morbis Chirurg.

(2) Anat. path.

(3) Com. de Chirurg.

(4) Vide comparatè observat. in investigat. De vesicæ hernii *Verdier*, Chirurg. Acad.

(5) Vol. 1.

formata. Sed ex observationibus ab *Albinus*, *Massalien* (1) et *Wilmer* allatis, constat fieri posse hernias inguinales duplices. *Scarpa* refert illas semper et congeniali, et inguinis herniâ vulgari esse formatas; sed ex observationibus professoris *Cruvelhier* (2) consequitur hernias duas inguinales per eundem annulum fieri posse.

---

#### DE HERNIA INGUINALI DUPLICI, OB TEGUMENTORUM DILACERATIONEM.

Quædam exstat inguinis hernia duplex, quæ oritur ex dilaceratione parietum inter se contiguorum sacculi herniarii et tunicæ vaginalis, quùm ad id accedit hydroceles complicatio.

Quotièscumque unà hydrocele herniaque existunt, herniæ anterior apparet hydrocele, atque, prout utriusque crescit amplitudo, contigi fiunt eorum parietes, ac deindè copulantur; tunc conatus quidam eos rumpere potest.

*Neuboer* (3) in cadavere epiploon reperit strangulatum perforatione parietum contiguorum hydroceles et herniæ.

Iecat (4) quorum, observationem refert de herniâ scroti strangulatâ, hiatu qui patebat herniarium sacculum inter et hydrocelen, undè complexa facta fuerat hernia.

Duas et quidem notabilissimas de eodem facto observationes enarrat professor *Cruvelhier*. (5)

Ea est, ex nostrâ sententiâ, sacculi herniarii historia, antequam numerosas subeat immutationes quibus est obnoxius.

De variis illis transformationibus nobis nunc est disserendum.

---

(1) Vol. 1. Nota.

(2) Anat. path.

(3) Dissert. de epiplo-osch.

(4) Transact. philosoph.

(5) Anat. path.

## SECTIO II.

## DE TRANSFORMATIONIBUS QUIBUS OBNOXIA EST HERNIA INGUINALIS.

Quæ transformationes multiplices intercedunt , ac proinde in continentibus et in contentis partibus sunt expendendæ.

## CAPUT PRIMUM.

## DE PARTIUM CONTINENTIUM TRANSFORMATIONIBUS.

*Transformationes tegumentorum herniario sacculo externorum.*

Si tegumina sacculo herniario conglobatim inspexeris , eò tenuior apparebit eorum textura , quò recentius eruperit hernia , junior erit ægrotans , celeriusque creverit tumor (1).

In veteribus herniis sæpiissimè maximam offerunt crassitudinem tunicæ , præsertim quùm jamdudùm erupta hernia , imperfecto compressa fuit bracherio. Sæpè observati sunt veteres sacculi quibus trium vel quatuor linearum inerat densitas et qui in plurimas laminas superpositas divelli poterant (2).

Hæc autem generatim exposita , multas tamen patiuntur exceptiones. Ex *Mery* observatione (3) constat , ista involucra ità inter se conglutinari posse in veteri herniâ , ut ea dignoscere ferè

(1) *Marjolin* , Thesis de méd. oper.

(2) *Morgagni* , de Sed. et causis morb. ; *Arnaud* , Com. *Dehaen* , Rat. medendi.

(3) Com. Acad. chirurg. , an. 1701.

sit impossibile ac proinde in dubium revocari possit eorum existentia. Theden, Schmucker (1), Scarpa (2), ex quotidianâ observatione, affirmant, hernias inguinis veteres sæpè tenuissimis involvi tegumentis. Quapropter sapientissimum illud est *Arnaud* documentum, quo præcipit ut, in herniæ operatione, primus scalPELLi ictus prudenter temperetur.

## DE TRANSFORMATIONIBUS TELÆ CELLULARIS SACCULO EXTERNÆ.

I. Tela cellularis sacculo externa diversissimas insipientibus exhibere potest varietates. Vulgo sub adiposâ specie appareat; sæpissimè tunc adeps in flosculos subrubicundos coarcervatus epiploonem simulat(3).

Aliquoties, ut compleatur error, fasciculi illi adiposi pluribus involvuntur tegumentis, quorum ultimum tenue est et translucidum.

*Saviard* (4) parem rerum dispositionem animadvertis.

Fasciculi illi adiposi nonnunquam per annulum inguinale erumpunt, ac plus minusve in inferiorem partem producuntur. *Morgagni Pelletan*, *Tartra*, necnon professor *Cruveilhier* de hoc observationes referunt.

Quæ quidem feturæ facile accipiuntur pro epiploone, qui eundem quam ipsæ exhibet contactum.

II. Tela cellularis sacculo externa, sæpè constat laminis superpositis, nequaquam inter se adhærentibus, speciemque offerentibus levigatam, quæ herniarium sacculum simulat. Accidit ut à quodam chirurgo quatuor laminæ foliaceæ inventæ fuerint, quas vicissim pro hernario

(1) Biblioth. chirurg. Septent.

(2) De Herniis.

(3) Desgranges, Diarium medicinæ.

(4) Observ., p. 107.

sacculo habuit. Quorum fallacium sacculorum , tanta erat cum vero sacculo consimilitudo , ut inscius in hunc pervenerit, faciemque levigatam intestini pro altero sacculo acceptam exciderit (1).

III. Nonnunquam in telâ cellulari , sedem habent kysti serosi qui, herniarii sacculi similitudinem exhibentes , chirurgum possunt decipere. In hunc errorem incidit Lecat (2). Hujuscemodi hernias haud semel operatus est *professor Dupuytren.*

IV. Tela cellularis sacculo externa , fibrosam transformationem pati potest , quod quidem frequentissimè accidit ; sed tela illa fibrosa recens formata, nunquam texturæ fibrosæ naturalis perfectionem adipiscitur , nec linearum dispositionem , nec albicantum concharum colorem præ se exhibet.

Quatuor aliquoties aut quinque folia fibrosa apparent , cùm unum tantummodo extare debet.

Hab d rarò omnia saccioli foliacea tegumenta , in molem quamdam densam ac fibro-cellulosam convertuntur : cuius facti exemplum refert *Cruveilhier professor.*

Sæpè quidem inveniuntur transformationes cartilaginosæ et osseæ in laminas inæquali magnitudine dispositæ. Quarum partium detrimento fiat hæc transformatio , indicari impossibile est. Peritonæus tamen sacculus aliquoties solus affici videtur. In Miscellaneis curiosorum (cent. IX — X , pag. 353 ) legitur descriptio cartilaginosi et ossei saccioli.

---

#### DE SACCOLI HERNIARII TRANSFORMATIONIBUS.

I. Sacculus herniarius , licet aliter censuerit *Scarpa* , plus minusve crassitudinis potest adipisci. Ex illâ crassitudine, oriri possunt

---

(1) Professor *Cruveilhier*, Anatom. path.

(2) Transact. philosoph., an 1750.

strangulationes , ut præclarè probaverunt *Ledran*, *Lafaye*, *Arnaud*.

Fieri potest colli sacculi contractio, in externo orificio canalis inguinalis, in orificio interno, aut in omnibus hujusce canalis partibus. Plerumque verò, quæ fit in collo sacculi strangulatio, in herniis solummodo parum tumentibus, ac diù imperfecto bracherio compressis, animadvertisit. Frequentius in herniis congenialibus existit; quod quidem explanat *Scarpa* ex propensione sese contrahendi, quâ collum vaginalis tunicæ fruitur.

Hanc strangulationem, antequam fiat operatio, discernere haud facile est. Si, per taxim reductis acervatim visceribus, permanerent tamen accidentia, tunc necesse esset ægrotō magnos adhibere conatus, ut herniam iterum ex abdome expelleret, incarcerationemque excideret chirurgus. In duobus factis similibus, professor *Dupuytren*, cùm duplicem herniam acervalim reduxisset, et eadem permanerent strangulationis accidentia, operatus est, nullo indice ductus, qui strangulationis locum certum indicaret, et tamen ipsi contigit ut utrumque sanaret ægrotum, aut saltem ex eis unum; namque non pro certo tenetur ex operatione ortam fuisse ægrotantis sanationem (1).

**II.** In herniaris sacculi corpore, saepius notantur contractiones; undē exstant sacculi in peræ modum, et sacculi quibus collum inest. Quæ quidem contractiones tanquam præcipua strangulationis causa indicantur.

**III.** Sunt etiam sacculi multiloculares; id est, qui plurimas offerrunt cellulas corpori sacculi contiguas, enjus rei exemplum refert professor *Cruveilhier* ( tom. 2, pag. 319 ).

(1) *Cruveilhier*, Anat. path.

DE CELLUSOSIS TRANSFORMATIONIBUS HERNIARIE SACCULI , ET  
ADHÆRENTIIS.

Adhærentiis , ut potè in herniâ consideratis , studere permagni interest : eas in gelatinosas , capillatas et cornosas dividit *Scarpa* ; professor *Cruveilhier* verò in capillatas , adiposas , et cellulosas.

Inter se adhuc discrepant adhærentiæ , prout sibi invicem adhærent solummodo partes è loco suo ejectæ , aut in ipsis partibus unà cum herniario sacculo fiat adhærentia.

Tandem existere potest strangulatio , vel non ; vel apparet , vel abest mutatio amplitudinis et texturæ partium è loco ejectarum.

Rarò observantur adhærentiæ , nisi in veteribus herniis quæ extrinsecus causis irritationis subjiciuntur ; verbi gratiâ , ictibus , es, niaus tractionibus , aut in imperfectorum bracheriorum commis reeane. Attamen aliquoties adeò occultè formantur , ut quibusnam causis referri debeant , prorsùs incertum sit.

In herniâ congeniali extare potest adhærentia testiculum inter herniosas partes ; istæ quidem adhærentiæ vel intrâ vel exrà ventrem fieri possunt. De hoc *Wrisberg*(1) , *Sandifort* et nonnulli alii exempla referunt.

Adhærentiæ , quibus constat sæpissimè gravis herniarum complexio , magnoperè nonnunquam valent ad sanationem , quam sola interdùm conficit natura , et cui ars et ipsa favet. Re ipsâ ex adhærentiis oritur plerūmque integra herniarum sanatio. In hoc omnes consentiunt auctores , dissentient verò de modo quo fit adhærentia. Illud verò constat ; nempè saccum qui herniam continet , sese paulatim contrahere , ac deindè obliterari. Notabilissimas de hoc observationes refert *Cruveilhier professor*. (2)

(1) Observ. Anat., de Test. discur.

(2) Vol. 11 , Anat path.

## DE TRANSFORMATIONIBUS PARTIUM IN HERNIIS INCLUSARUM.

---

### EP IPOONIS TRANSFORMATIONES.

Permutas transformationes subire potest epiploon; adipalem verò frequentius. Adipis in epiploone coacervatio, sèpè impeditre potest ne reducatur hernia; et quùm hujus organi vitam, ut ità dicam, comprimit, adipis fusiones provocat, si vel minima intercedat irri-tatio, nec non quoddam genus humidæ gangrenæ, quæ aliquoties usque in abdominis cavitate sævit.

Sèpè etiam annulo compressus epiploon obdurescit, conglobatur, in funiculum densum convertitur, aut in rotundam molem, quæ nihil jàm ex epiploonis sani naturâ retinet.

Sic transformatus epiploon, intestini strangulatione nvariis modis producere potest.

Hydatidum aut kystorum serosorum copiam plus minus ve numerosam offerre potest epiploon.

Epiploon inventus est in ossæam et cartilaginosam substantiam trans-formatus. Professor *Marjolin*, in scroto cadaveris tumorem invenit præduram, columbinum ovum amplitudine exæquantem, et epi-ploonis parte formatum: quem tumorem secuit, ac in sinu reperit partem epiploonis minimam nondùm ossificati: cum epiploonti in abdomine inclusa, per pediculum osseum continuebatur.

Epiploon aliquoties suppuratione afficitur: indè mors et consump-tio; nonnunquam in squirrhum et carcinoma vertitur.

---

### DE MESENTERII TRANSFORMATIONIBUS.

Iisdem, quibus epiploon, transformationibus obnoxium est mesen-

terium. Crescentibus ejus glandulis , oriri potest intestini strangulatio (1).

---

#### DE INTESTINI TRANSFORMATIONIBUS.

De contractione et obliteratione intestini locomoti, tantum nobis hic est disserendum. Quae contractio *acuta* est , aut *chronica* ; frequenter occurit posterior. Continua compressio quae per imperfectum bracherium in intestinum exercitum ; strangulationes efficaciter solutae irritationem procreant, qua oriuntur, aliquantò post, crassitudo, contractio , imò etiam intestini obliteratio.

Persœpè in partibus tantum constrictioni obnoxiiis, animadvertisit illa contractio. *Ritsch* hujus generis exemplum memorat. Aliquoties totam intestinalem ansam occupat.

Præter *chronicam contractionem* , quam solam amicit Richter , observatur *acuta contractio* in recentioribus herniis, parùm tumentibus , atque quatuor, sex , vel novem abhinc dies strangulatis. Fieri etiam potest ut adhærens inflammatio, parietes intestini oppositas conglutinet. Casus haud dissimilis , à *Dom. Rigal* observatus est.

---

#### DE TRANSFORMATIONIBUS TESTICULI IN HERNIIS.

In veteribus herniis inguinalibus , sive in congenialibus , sive in aliis , sœpè atrophiâ laborans invenitur testiculus.

*Bonnet* , in septuagenario , qui viginti abhinc annis herniâ inguinali immanni laborabat , testiculos reperit *compressos* , *slavescentes* , *nucis moschatæ magnitudinem vix æquantes* (2).

*Valsalva* memorat testiculum in membranous corpus mutatum ,

---

(1) Richter, nota de Rougemont.

(2) Sepulchretum. sect. XXIX.

in adolescente duo et viginti annos nato (1). Pott et alii observatores exempla huic facto consentanea referunt.

Atrophiæ illæ pendent non solùm ex eo *quod vasa sacco adnascantur*, ut aiebat *Boerhaave* (2), sed ex compressione quam in testiculum exercent epiploon et mesenterium. Id etiam fieri potest, si imperfecto bracherio comprimatur funiculus.

Rarò transformationes subit spermaticus funiculus; in herniis, partes quibus constat divelluntur; in longitudinem crescit, tumescit, ac in eo sèpè sedem habent capsulati tumores.

#### DE GANGRENA PARTIUM HERNIOSARUM, POST STRANGULATIONEM.

Quùm in herniâ fit strangulatio, si opportunè non adhibeantur remedia, partes quas comprimit strangulatio, ac etiam partes illæ quæ extrà strangulationem jacent, brevi gangrænâ afficiuntur. Variis modis, ex dispositione herniosarum partium, sævit gangræna. Modò in circuitûs unâ tantùm parte stringitur intestinum; modò intestini ansa tota morte afficitur. Si symptomatum inflammatorum violentiâ non opprimuntur ægroti, cavitatem abdominalem non invadit gangræna; fiunt in circuitu annuli adhærentiæ; eschara solvit; excrementa intestino inclusa, in saccum defluunt, qui mox inflammatur; fit abcessus; pluribus in locis tegumenta rimis dehiscunt, et brevi contrâ naturam anus patet.

#### RELATIONES HERNIÆ INGUINALIS CUM FUNICULO SPERMATICO ET CUM ARTERIA EPIGASTRICA.

Hæ connexiones variabiles sunt, prout hernia est externa vel interna.

(1) *Morgani. Epist. II.*

(2) *Prœlect. ad institut.*

## CONNEXIONES HERNIÆ EXTERNÆ CUM FUNICULO ET ARTERIA EPIGASTRICA.

Connexiones hujus herniæ cum funiculo vasorum spermaticorum et cum arteriâ epigastricâ sunt sequentes :

1º *Funiculus spermaticus* transit obliquè ex alto in imum, et ex exteriori parte in interiorem sub collo tumoris, et cùm pervenit propè partem internam, decussat arteriam epigastricam et se implicat in inferiori parte annuli. (*Cum dico funiculum transire sub collum tumoris, intelligo tantum de canali deferenti, arteriâ et venâ spermaticâ; nam fibræ superiores vel externæ musculi cremasteris, correspondent anteriori et externæ parti colli herniæ.*)

2º *Pars arteriæ epigastricæ* quæ complectitur funiculum, deprimitur in imam, in internam, et in posteriorem partem; et pars proeminentis curvaturæ hujus arteriæ, sic removetur ab angulo superiori annuli, propè quem transit in statu naturali.

3º *Arteria epigastrica* soluta ex inferiori partes lateris internæ funiculi spermatici, ascendit ferè verticaliter, propè oram externam musculi dexteri, et duobus pollicibus supra pubim, sedem habet post hunc musculum. Ex hâc dispositione sequitur, remanere inter partem inferiorem partis ascendentis arteriæ epigastricæ, et columnam internam vel superiorem annuli, triangulare spatum cuius basis vertitur ad umbilicum, dum summa correspondet ad tertiam partem columnæ internæ annuli.

*Apud mulieres*, intervallum quod segregat, transversum in modum, arteriam epigastricam ex angulo superiore annuli, amplius est quam in homine; cæterum, apud illas reperitur in parte posteriori et interiori sacci herniarii, ligamentum rotundum, positum ut funiculus spermaticus in homine; sed musculus cremaster plus minusve explicitus, decussat partem anteriorem et supernam colli sacci herniarii, et in telam cellularem pectinis sese expandit. Noster professor *Marjolin* hanc dispositionem manifestè invenit in duabus herniis

quibus laborabant, duæ mulieres ætate proiectâ; herniarii sacci attamen præbebant magnam spissitatem: unus ex eis in superiori parte contractionem offerbat.

4º Cum funiculus trans annulum pervenit, canalis deferens, arteria et venæ spermaticæ pergunt descendere secundùm parlem posteriorem et internam tumoris, alii cum aliis conjuncti telâ cellulari maximè extensibili.

5º Cùm hernia recens est, facile est segregare, ex parte posteriori sacci, vasa quæ illi contigua sunt; sed in herniis inveteratis et voluminosis, difficillimum est, vel etiam impossibile auferre penitus saccum, et non vasa lædere.

6º In herniis inveteratis et voluminosis, canalis deferens servat situm naturalem vel devius est introrsum. Arteria extrinsecus incurvatur; venæ magis adhuc et persœpè varicosæ.

7º *Noster professor Marjolin* hernias voluminosas secuit, quæ hanc dispulsionem inter funiculi vasa non produxerant.

---

RELATIONES HERNLÆ INGUINALIS INTERNÆ CUM FUNICULO ET ARTERIA  
EPIGASTRICA.

Cum hernia evadit in internam partem loci ubi, arteria epigastrica objicitur funiculo, iste se collocat in latere externo sacci herniarii, sat proximus ejus parti anteriori; arteria epigastrica foris dejecta, transit per latus externum anguli superioris annuli; magis obliqua est quam in normali conditione.

*Funiculus* nequit collocari apprimè in parte anteriore sacci herniarii, aut ei objici in modum obliquum, ex parte exteriore in interiorem et superiore in inferiorem, nisi hernia subito erumpat et intestina exeant annulo, postquam transierint infrà partem aponeurosum transversi et obliqui interni quæ obturant dimidiam partem superiorum internam hujus foraminis.

In altero casu, per quem funiculus collocari posset in parte an-

teriore tumoris, intestinum evaderet, ut vidit *J.-L. Petit*, inter fasciculos columnæ externæ; sed in eo casu, funiculus proprius adhæret lateri interno herniæ, quam lateri externo, et arteria epigastrica non locum mutaret, quia funiculus suum non mutaverit: quod si verteretur, id fieri tantum posset per internam partem.

In herniis formatis inter fibras columnæ internæ, funiculus collocari debet in parte posteriore et internâ tumoris, et arteria epigastrica foris dejecta.

---

## PARS SECUNDA.

---

### DE HERNIA INGUINALI INCARCERATA.

#### DEFINITIO.

Vulgò denominatur hernia inguinalis, unius vel plurium viscerum abdominalium eruptio, per annulum inguinale, aut per partes vicinas, ad formandum tumorem plus minusve exteriùs eminentem.

#### SYNONYMIA.

Antiqui huic morbo nomen dabant *rupturæ*, quia putabant scissuram peritonei sempèr ante illam ire. Neminem fugit hodiè hanc scissuram rarissimam esse, et à quibusdam auctoribus etiam in dubium revocari.

Vulgus plerūque vocat herniam, gallicè *descente* vel *effort*. Verbum *descente*, herniæ inguinali applicatum, satis aptum est, cùm indicet, se dimovendo, partes proprius accedere piano inferiori corporis.

Verbum *effort*, sat benè pariter convenit, cùm semper conatu quodam vel vi mechanicâ eveniat dimotio.

## HISTORIA.

Notio herniarum revehitur usque ad remotissima tempora. Multa magni momenti opera de earum historiâ edita sunt, et hæc pars scientiæ debet præsertim sua incrementa investigationibus Richter, J.-L. Petit, Arnaud, Sandifort, Wrisberg, Sœmmerring, Camper, Desault, A. Cooper, Scarpa, Gimbernat, Travers, Monro, Hesselbach, Lawrence, et professorum Pelletan, Dubois, Chaussier, Lallement, Boyer, Dupuytreu, Richerand, Beclard, Marjolin, Cruveilhier, Jules Cloquet, etc.

Neminem fugit eorum laborum utilitas et res magnæ et graves quæ indè consecutæ sunt.

---

## VARIA INGUINALIUM HERNIARIUM GENERA.

Extant varia inguinalium herniarum genera et numerosæ varietates quas exhibent inter se pertinent: 1° ad earum volumen, 2° ad partes quæ eas constituunt, 3° ad sedem quam occupant.

*Ad volumen.*

Quando viscera loco mota non inguen excedunt in utroque sexu, hernia vocatur *bubonocèle* vel *hernia inguinalis*.

Quando hæc crescendo descendit usque in intimum scrotum, tunc vocatur *oscheocèle* vel *hernia scrotalis*. Apud mulierem cum descendit in labrorum spissitate nomen *inguinalis* retinet.

Apud hominem si producatur hernia, antequam obliterata sit communicatio inter peritonæum et tunicam vaginalis, vocatur *hernia congenitalis*.

*Ad partes quæ eas constituunt.*

Hernia vocatur *entérocèle*, quando formatur solum intestino; *epiplocèle*, quando continet nihil præter epiploon. *Entero-épiplocèle*, quando hæc duæ partes insunt simul in eodem tumore.

Quando hernia vesicam continet, vocatur *cystocèle*; l'estomac, *gastrocèle*, la rate, *splenocèle*, etc., etc.

*Ad aperturas quibus fiunt.*

Scarpa ex Hesselbach, dividit hernias inguinales in *externas* et *internas*. Vocat *externam*, hanc quæ incipit in fossâ superiori peritonæi et viam canalis inguinalis sequitur, ut prorumpat extrinsecùs: et *internam* hanc quæ nascens in inferiori fossâ peritonæi, sibi aperit exitum per aponeuroses muscularum transversi et obliqui interni, proximè inguinalem annulum et citrâ inter decussationem funiculi cum arteriâ epigastricâ. In primo casu, involucra herniæ constant omnibus iis quæ funiculum circumdant; dum in secundo casu partes non teguntur omnibus folliculis quæ formant vaginam funiculi.

Hæc herniarum divisio, nunc accepta ab omnibus ferè auctoribus, prodesset multùm operationi, si possent, in omnibus gradibus morbi, hæc duo herniarium genera inter se discerni.

Hæc quæ, *sub muscularum transversi et obliqui interni aponeurosibus* erumpunt et in inferiori parte annuli apparent, nomen proprium accipere nequiverunt.

Idem est, de his quæ producuntur *per fibras columnarum annuli inguinalis*.

---

**CAUSÆ HERNIÆ INGUINALIS.**

Causæ herniæ inguinalis generaliter agunt, nunc augendo pressionem exercitam super viscera, parietibus abdominalibus; nunc que minuendo resistantiam quam hi ipsi parietes earum dimotioni opponunt. In primo casu, occasioales sunt; in secundo, prædisponentes.

*Causæ prædisponentes.*

Distensio , debilitatio parietum abdominalium , quibusdam morbis sicut , ascitâ , hydrope saccato , prægnatione et tympaniti ; positio declivis canalis inguinalis , ejus magna dilatatio , et debilitas ; dispositio fluctuans intestinorum gracilium et epiploonis , ponè hanc aperturam ; incisio anterior , equitatio , genuflexio , macies extrema quæ subitò obesitati succedit ; contusio quæ debilitat partium elaterium ; vis , exercendo se in superandis obstaculis , quædam profesiones , verbi gratiâ , bajulus , onerator ; denique relaxatio mesenterii , secundùm *Morgagni* multosque alios celebres chirurgos , habita est causa prædisponens herniæ ; sed sicut animadvertis noster *professor Richerand* , hæc relaxatio sit solummodo cùm dimoventur intestina et exstat inter eruptionem herniæ et extensionem mesenterii , relatio perfecta . Doctor *Julius Cloquet* putat peritonæi laxitatem , herniis prædisponere .

*Causæ occasioneis.*

Hernia inguinalis frequentè producitur , omnibus vitæ actis quæ , conatus plùs minùsve violentos exigunt ; actione saltandi , currendi , onera gravia tollendi , clamandi , canendi , tussiendi ; cùm mulier parit ; per vomitus ; per excretionem stercorum induratorum , urinæ que , cum hoc fluidum in vesicâ retinetur ; 1° in occasione casûs in pedes , in genua , in sciaticas tuberositates , in ventrem ; vel post ictus violentos , illatos in hanc postremam partem (2) .

(1) *Julius Cloquet* , investigat. de causis et anatomia herniarum .

(2) *Marjolin* , Thesis med. operat.

## DE INCARCERATIONE HERNIÆ INGUINALIS.

Professor *Marjolin* describit incarcerationem herniæ, sicut statum in quo, partes contentæ in tumore herniario, comprimuntur in uno aut pluribus in punctis, circularium in modum; continuò et tām strenuè, ut indē oriantur symptomata infausta, et impossibilitas reducendi tumorem, si antè mobilis esset.

Ea sunt vera signa incarcerationis; sed observandum est, quasdam complicationes herniarum, quæ in definitione suprà dictâ describi nequeunt, plures habere cum incarceratione relationes, et necessariò sanandas esse eâdem operatione, quibusdam cum modificationibus. Sic, « homo quidam qui herniam habebat, hordeaceam spicam hau-» sit, et brevi, incarcerationis symptomata apparent: Dominus de » *Boismortier* operat et invenit spicam, quæ exierat per intestinum » incarceratum et gangrenâ vitiatum » (1), in eo casu, extraneum corpus et asperum, symptomata incarcerationis simulaverat, quam-quam nulla incarcerationio esset.

Professor *Marjolin* aliam observationem indicat, in quâ symptomata incarcerationis supervenerant, quamvis nulla incarcerationio existeret. « Malum ortum erat ex præsentia sex-decim parvulorum ossium de » pedibus ovis, quæ hauserat æger. » Idem professor indicat, similes casus nasci posse, ex agglomeratione vermium in intestino incarce- rato.

*Incarceratio*, ut propriè dicam, non existit, cùm intestinum den- satur et fit squirrhosum, post inflammationem chronicam; quam- quam in isto casu, nullo circulari impedimento contentum fue- rit, ejus cavitas oblitteratur ferè tota; mucositates intestinales et aliæ fæces retinentur; symptomata incarcerationis apparent;

---

(1) Com. academ. chirurg.

operatio indicatur (1), et tamen incarceratio non existit (2).

Invaginatio intestini in sacco herniario , non vera incarceratione est : hic tamen casus symptomata incarcerationis offert (3).

Nihil amplius addendum mihi videtur , quo magis appareat discriminem quod distinguit incarcerationem et morbos graviores qui eadem symptomata ostendunt.

#### LOCUS INCARCERATIONIS.

Incarceratio herniae inguinalis sedere potest in foramine , quo viscera eruperunt ; infra aut suprà foramen istud ; aut etiam in pluribus locis ; sæpè sæpiùs , tamen , foramini objicitur quæ erupit hernia.

#### CAUSÆ MATERIALES INCARCERATIONIS , IN HERNIIS INGUINALIBUS.

Causæ materiales incarcerationis in inguinalibus herniis , satis numerosæ sunt :

*Incarceratio produci potest :*

1° Annulo inguinali ;

2° Aperturis formatis inter fibras columnarum , et quibus viscera è ventre prolapsa sunt ;

3° Telâ cellulari sitâ in proximitate herniae , cùm fit sedes tumoris qui comprimit intestina contenta.

4° Sacco herniario spissato , vel exhibente colla plus minùsve compressa ; vel hoc sacco lacerato.

5° Frænis membranosis quæ ad hunc saccum pertinent.

(1) *Traisnel*, ex *Brasdor* de variis inguinali in enterocele strangulationum generibus.

(2) Hæc contractio non similis ei quæ ab annuli pressione producitur.

(3) Duas observationes similes affert professor *Cayol* in *Scarpa* traductione.

6º Epiploone (1).

7º Appendice vermiformi (2).

8º Corporibus alienis, in herniâ contentis.

9º Testiculo in annulo retento, vel funiculo intercluso. In hoc postremo casu, testiculus vel funiculus concurrit ad producendam incarcerationem, et ipse incarceratus est.

#### PLURA EXISTUNT INCARCERATIONIS GENERA.

Si ratio habeatur, naturæ, intensitati et explicationi plus minusve rapidæ symptomatum incarcerationis; si considerentur herniarum inter se discrimina, pro compositione, pro volumine et vetustate; poterint constitui *duo genera incarcerationis*, 1º *unum acutum vel cum inflammatione*, 2º *alterum chronicum vel cum stercore farto*. Professor Marjolin (3) putat tertium genus, intermedium duobus præcedentibus, admitti posse. In hoc strangulationis genere, symptomata lentiora sunt gradu et minora, quâm in strangulatione acutâ; molestiora tamen et celeriora sunt, quâm in incarceratione cùm stercore farto.

*Richter* spasmodicam incarcerationem admittebat; sed invitis omnibus suis argumentis, hoc genus repudiant auctores.

#### PRIMUM GENUS.

##### *De incarceratione acutâ vel inflammatoriâ.*

Circumstantiæ in quibus supervenit hæc incarceratione.

Incarceratio acuta vel inflammatoria, fit sæpè in herniis quæ subitò apparent, post quemlibet conatum, apud homines robustos, plethoricosque, præsertim cùm annuli sunt angusti, densi et maximè firmi. Herniæ quæ in his circumstantiis erumpunt, parvum volumen generaliter præbent, et subitò incarcerantur. Prætereà, frequenter

(1) Scarpa, traduct. cit.

(2) Comm. Acad. chirurg.; Diar. med.

(3) Thesis, med. oper.

Accidit acuta incarceratio, apud homines robutos, jam dudum herniâ laborantes; cum conatus quidam violentus, novam viscerum partem ex abdomen pellit.

SYMPTOMATA ACUTÆ INCARCERATIONIS.

Gravitas et progressus symptomatùm, in incarceratione acutâ, multas præbent varietates, 1° pro herniæ volumine, 2° pro annuli dimensione et columnarum renixu; 3° deniquè pro ægri constitutione.

*Cum intestini arcuatio completa herniam constituit.*

Cum intestini arcuatio herniam constituit, incarcerationis acutæ symptomata sunt sequentia: æger primùm in annulo dolorem sentit, qui mox ad herniam et ad viscera in abdomen contenta progreditur; tumor durus, renitens, levissimi tactûs impatiens; irriductibilis; stercora, flatusque retinentur: intestinorum irritatio mox ad stomachum transmititur, indè nausea et ingens vomendi nisus quo parca bilis aut stercoris copia redditur. Singultus mox accedit: pulsus acer, exiguis, frequens, intermittens, depressus; respiratio brevis, oppressa; inspiratio præsertim dolorosa; facies fit subflava, colapsa, contracta; arescit lingua, vel crustâ limosâ cooperitur; siti ardente et continuâ laborat æger; et quod hausit fere statim rejicitur. Si perstet incarceratio, tumefit venter; dolor in herniâ defigitur; pulsus fit frequentior, debilis, miser; tumor, si prematur, mollietiam telæ cellularis infiltratæ præbet; facies fit cadaverosa; sudor frigidus è fronte, genis, collo, pectoreque defluit; dolor subito mitescit; venter subsidet; cessant vomitus, manente singultu; demum dejiciuntur vires; aliquoties fit dejectio fætida.

Haec subita doloris extinctio, depressioherniæ, et præsertim lividus intestini per integumenta pellucentis color, gangrænam planè demonstrant, in herniâ et aliquoties simul in abdomen. Tunc mors instat.

Succumbunt aliquot ægri antequam inflammatio in gangrænam

vertatur. In quibusdam, incarcerationem acutam sequuntur convulsiones vel tetanus, et demum misera mors. Cæterum persæpè variant intensitas et duratio symptomatum, pro vi, ætate, corporis constitutione, sexu, et ægrorum statu morali.

*Cum intestini circuitus exigua pars strangulatur.*

Cùm solummodo pars intestini annulo strangulatur, symptomata nèc tam gravia nèc tam violenta sunt quàm in præcedente casu. Ex sententia *Louis* (1), solummodo colicis, nauseis et vomitibus laborant ægri : plerūmque fusus est venter; attamèn constipatio ex irritatione nasci potest ; et si curatio rationalis non adhibetur, pars stricta gangrænâ afficitur, stercora effunduntur in saccum herniarium, cutis inflammatur, et móx per illam proripiunt excrementa.

*Cum herniam constituit epiploon.*

Symptomata strangulationis acutæ non tām gravia sunt in epiploicâ herniâ, quàm in intestinali ; multis in casibus fusus est venter, et stercora vomitu non rejiciuntur ; nauseæ et singultus rarò subeunt ; dolor plerūmque decrescit in herniâ et in abdomen, cùm in anteriori curvatur æger ; sed notandum est quosdam apud homines, acutam epiploonis incarcerationem producere posse (2) constipationem, vomitus, etiamque convulsiones (3).

**SECUNDUM GENUS.**

*De incarceratione chronicâ.*

*Circumstantiæ in quibus supervenit.*

Chronica incarceratione tantummodo evenit, in herniis vetustis ac

(1) Com. Acad. eh. lib. iii.

(2) Biblioth. chirurg. septentrionis.

(3) Callisen syst. chirurg.

voluminosis, quae male continentur. Senes, adulti debiles, homines qui, ex consuetudine, cibo se onerant et quibus alvus est adstrictior, sat obnoxii sunt huic incarcerationi. Intestinum in hernia contentum paulatim distenditur stercoribus duratis, flatibus, aliquotiesque corporibus alienis, ut nucleus etc.; hernia quotidiè volumine crescit, et tandem strangulatur ejus collum, aut annulo, aut saceuli collo.

## SYMPTOMATA.

Stercera, cum per herniam transire non possunt, accumulantur supra annulum. Æger pertinaci constipatione laborat: superveniunt colicæ, fastidia, nauseæ, et post tempus variabile, vomitus. Hæc varia phænomena stare possunt per sex, octo aut decem dies, etiamque per tempus longius, absque dolore in hernia. Aliquoties intra vomitus, stant septem aut octo dies: sed tandem, stercorum statione et iterato taxi, paulatim inflammatur intestinum, et mox sequntur incarcerationis symptomata; hæc non tam gravia sunt quam in acutâ strangulatione.

## TERTIUM GENUS.

*A professore Marjolin admissum.*

Symptomata hujus incarcerationis sat breviter apparent, sed vulgo non gravia sunt, et rarò utilis est incisio, cum maturè propria adhibita fuerunt remedia. Hoc genus incarcerationis, intestinorum debilitate et illorum flatibus distensione producitur. Sæpiùs accidit in hominibus nervosis, debilibus et convalescentibus. Richter (1) et Scarpa (2) hanc incarcerationem admittunt.

(1) De herniis, trad. Rougemont.

(2) De herniis, trad. Cayol.

DIAGNOSIS HERNIÆ INGUINALIS INCARCERATÆ; ET ORGANORUM QUIBUS  
HERNIA CONSTAT.

I. Herniam incarceratam vulgò comitantur signa propria, quæ non permittunt illam non agnoscere: vomitus, constipatio, tensio ventris, singultus, et præsentia tumoris irreductibilis in inguine, sunt tot signa quæ raro obscuritatem relinquunt in diagnosi. Attamen aliquoties tantulus est tumor ut oculo chirurgi effugiat; tunc diagnosis obscurissimus est. Visi sunt quoque tumores qui, ut aneurisma, varix, bubo, abcessus, funiculi kystus, testiculus in annulo retenso etc., herniam incarceratam simulare potuerunt; sed circumstantiae antecedentes, status morbi et progressus, diagnosim semper dilucidabunt.

Ex sententiâ doctoris Pyorri, variæ partes in herniâ contentæ, percussione mediatâ secerni possunt. Experiendiæ hanc propositionem relinquo. Sed, ut observat noster *professor Boyer*, multò sæpiùs evenit ut herniæ attribuantur, graves casus qui ad morbos alias pertinent; reverà, ille qui herniâ afficitur, gastrite, vomitibus nervosis, et ileo laborare potest; et tamèn hi casus graves herniæ attribuentur, quamvis hic tumor ægro sit innoxius. Nihilominùs, si hernia priùs reducibilis, nunc reduci non posset, tunc crederemus tumorem accidentium esse causam. Sed si jamdudum adhæreret hernia, tunc diagnosis obscurissimus esset. In casibus tam obscuris, multi et celeberrimi chirurgi, in errorem inducti sunt. *Pott* (1) multa hujus affert exempla. *Professor Boyer* sequentia refert:

« Juvenis quidam, à multis annis herniâ irreductibili laborans, » nauseâ captus est cum constipatione pertinaci et dolore in omni » ventre. Hernia tamen erat nec dolorosa nec tensa. Omnes consul- » tores incisionem proposuerunt; *Pott* ab hac sententiâ alienus, cum

(1) Works, vol. III.

» putaret herniam innoxiam esse , non assensu suo operationem  
 » comprobavit ; æger postridie mortuus est ; et insecto cadavere epi-  
 » ploon et intestinum herniam formantia, in statu sano reperta sunt ;  
 » sed jejunum in ventre contentum , inflammatum erat et gangrenâ  
 » vitiatum.

» In alio casu , ferè simili , operatio facta est ; organa in tumore  
 » contenta , sana erant , reductio facta est , annulo non dilatato . Pos-  
 » tridiè periit æger , et insecto corpore , repertum est colon gañgrenâ  
 » vitiatum in cavitate ventris . »

In his casibus semper obscuris , aliquot circumstantiae dubia mi-  
 nuere possunt ; verbi gratiâ , si dolor percipiatur in ventre et non in  
 herniâ ; si subito morbus superveniat et sine ullo conatu qui her-  
 niam incarceratam producere potuerit ; si mollis sit hernia et venter  
 durus et tensus ; si dolores solummodo continentè herniæ sese  
 extenderint , tunc præsumi potest accidentia ab affectione ventris  
 pendere et non ab herniâ .

Simplices colicæ , quas comitantur constipatio et vomitus , possunt ,  
 cum hernia adhæret , incarcerationem fingere . Sed in hoc casu , clyste-  
 ria dejectiones producunt , et sic morbi caracterem indicant .

Inflammatio quæ sponte in herniâ priscâ et voluminosâ super-  
 venit , incarcerationem fingere potest . Diagnosis in hoc casu difficil-  
 limus est ; attamen putat Richter hanc inflammationem ab incarcera-  
 tione seceri posse , dolore qui primùm in tumore apparuit et non in  
 annulo inguinali . Ceterum , notandum est hâc inflammatione , plerisque  
 in casibus , incarcerationem produci .

II. Semper ne facile est , inter se discernere varias partes in herniâ  
 incarcerated contentas ? quod negat experientia . Attamèn aliquot in  
 casibus , exstant præcipua signa quæ naturam herniæ demonstrant ;  
 verbi gratiâ ;

*In herniâ intestinali* ; symptomata maximè brevia et gravia sunt ,  
 ordinariò ; præsertim cùm ansâ totâ constat hernia .

*In herniâ epiploone formatâ* ; symptomata lentiora sunt , et non tan-

gravia ; plerūmque fusus est venter , et si unquam irritatio vomitus occasionet, nunquam stercorum naturam præbent.

*In herniā dictā cystocèle, fluctuatio , perturbationesque in viis urinariis , morbi speciem sat planè demonstrant.*

*In herniā uteri, aut ejus annexarum ; dimotiones organi, per vaginam agnotæ , diagnosim dilucidari possunt , etc. , etc.*

---

#### PROGNOSIS HERNIÆ INGUINALIS INCARCERATÆ.

Prognosis herniæ incarceratæ sempèr molestus est; attamen , ut ait professor Boyer, multas varietates offert, 1º pro naturā accidentium, 2º pro partibus contentis , 3º deniquè pro ægri ætate et constitutione.

Incarceratio acuta gravior est quām chronica. Præseriūm periculosa est prognosis apud adultos magnā vi præditos , et cùm incarceratio fit statim post herniæ apparitionem. In casu simili , supervenit gangræna intrà octo horarum spatium ( Pott ).

Incarceratio chronica quæ tantum modo evenit in herniis vetustis et voluminosis , cùm maximè dilatatur annulus , non tām gravis est; et per multos dies manere potest sinè periculo; attamen si diù in eodem statu persistat, ut impedit ne alimenta et excrements transseant , perit æger, aut virium defectione, aut gangrænā , quamvis ea tardè superveniat et absque violentis symptomatibus.

*In enterocele recenti , incarceratio generaliter eò gravior est , quo tumor voluminosior. Attamen strangulatio partis exiguae intestini, cuius symptomata sunt levia , persæpe molestior est quām cùm intestina multa continet tumor. Reverà in primo casu tardè nascitur morbus et cum jām evenit gangræna.*

In herniis vetustis et voluminosis , non tam periculosa est incarceratio; nām annulus jamdudùm et valdè distensus , elasticitatem vimque contractionis amisit.

Incarceratio herniæ inguinalis generaliter gravior est in muliere

quam in homine : quod explicamus , minori dimensione annuli qui indè vi majori partes hernias strangulat.

In herniâ intestinali , multò molestior est strangulatio quàm in epiploicâ . Reverà , epiploon parùm sensitatis capax , magnam constrictionem ferre potest sinè damno ; et cùm inflammatur , accidentia rarò sunt violenta . Hæc inflammatio suppuratione aut gangrænâ terminari potest . Prima terminatio ferè nunquā periculum affert ; secunda rarò mortifera .

In herniâ entero-epiploicâ minùs gravis est incarceratio quàm in intestinali , nàm in primâ , intestinum mirùm in modum protegit epiploon .

Incarceratio , cæteris æqualibus , gravior est in adultis quàm in infantibus ; reverà hi ferè semper sinè incisione sanantur . Attamen visi sunt infantes tenerimi , uno anno , aut sex mensibus nati , qui herniâ strangulatâ perierunt .

Cùm inflammatio aut alteratio quædam ventris , herniam inceceratam comitatur , hæc ferè semper lethalis est .

---

## DE HERNIÆ INGUINALIS STRANGULATÆ CURATIONE.

In herniæ inguinis strangulatæ curatione , id sibi proponere debet chirurgus , nempè ut partes ex constrictione quam patiuntur solvat et in suum locum ipsas reducat .

Rationes quibus hæc indicatio constat sunt 1º aegroti situs , 2º diæta , 3º taxis , 4º sanguinis missio , 5º balnea , 6º topici emollientes , repercutientes et astringentes , 7º potus et elysteria laxativi , 8º operatio .

Ad studendum methodicè omnibus quæ ad curationem pertinent ; necessarium est illam in tres partes dividere . *In primâ* , continentur taxis et quidquid ipsi respondet ; *in secundâ* , operatio ; *in tertia* , curatio subsequens .

## CURATIONIS PRIMA PARS.

*De Taxi.*

Sic vocatur operatio per quam conatur chirurgus in suam cavitatem reducere organa quæ ex illâ eruperunt.

*Subsequentibus regulis id efficitur.*

Supinus jacere debet ægrotus, capite in pectus leviter inflexo, flexis pariter et femoribus et cruribus, ità ut in statu medio relaxationis sint ventris parietes. Qui quidem, si nimis tensi, aut laxiores essent, impedirent ne partes facilè reducerentur. Elatior quam pectus esse debet sedes, ut, remotis visceribus in ventre inclusis, facilior fiat herniæ reductio. Ab omni conatu abstinere debet ægrotus.

Postquam de herniæ specie, et de ipsius pediculi directione certior factus fuerit chirurgus, tumorem unâ vel duabus manibus, si amplius sit, arripiet; eum leviter digitis comprimet, ità ut partes novissimè eruptas primùm reducat. Non omittet suos conatus efficere in directionem quam erumpendo secuta fuerit hernia.

*Ergò in curatione herniæ strangulatæ*, chirurgus primùm taxim adhibere debet, quin jām antiqua sit strangulatio et ergò existimandi sit locus, gangrænam existere; aut tumor hanc exhibeat duritiem, ex quâ omnis reductio, sine operatione, existimatur impossibilis. Si primò res ex ejus sententiâ non cessit, debet, antequam iterum reductionem tentet, rationes adhibere quæ inter se differunt, prout acuta est strangulatio, aut chronica.

In strangulatione acutâ, primò copiosam sanguinis emissionem efficiet, nec syncopem reformidabit quæ, musculos relaxando, fiet opportuna: ægrotum plures per horas in balneo immissum tenebit; ac sine intermissione, cataplasma emollientia apponebuntur. Nonnulli chirurgi hirudinum applicationem in tumorem suadent; clysteria emollientia præcipientur. Si fortè, ut sœpè accidit, ardenti siti laboret

ægrotus, potus aliquot ei permittet chirurgus, si eos non evomit, si verò vel minima liquoris copia sorpta vomitum provocaret, sitis extingueretur aliquot pastillis citrino succo confectis, aut fructuum acidulorum suetu. Diæta vel severissima servabitur. Vomitorius quilibet aut purgatio vitabitur; nàm gravissimæ indè oriri possent consecutiones.

In strangulatione chronicâ, vomitorii cum refractâ dosi, purgativi salinacidi, tonicæ et astringentes applicationes indicantur, in prioribus strangulationis temporibus. Glacies, aliaque refrigerantia apprimè adhiberi possunt. Sed iis prudentè uti necesse est, si intestinum frigidum, crassum, sanguine infiltratum ac etiam gangrænâ affectum reperire non vult chirurgus.

His omnibus ex methodo adhibitis, chirurgus iterùm reductionem tentabit, eâ lege tamèn ut rationaliter agat et ab omni conatu abstineat, statim ut dolendus factus fuerit tumor. Et reipsâ experientia, ut ait professor Boyer, demonstrat rarò per taxim reduci posse herniam, si vel minimum in strangulatione sævierit inflammatio. Ex illâ etiam constat, vehementia et iterata reductionis tentamenta inflammationem intestini augere, eam in gangrænam vertere et gravissimè in ægroatonis exitu agere.

Si reduci non possit hernia et strangulationis symptomata permaneant, operationi necessariò confugiendum est.

---

## CURATIONIS PARS SECUNDA.

### DE OPERATIONE.

---

#### DE TEMPORE QUO HERNIA ACCIDENDO EST.

Saviard (1) præcipit ut maturè fiat operatio. Dionis (2), suadet

---

(1) Observ. vigesima.

(2) De oper. chirurg.

ut ad operationem confugiatur, cum duo vel tres dies elapsi sunt, nec hernia reduci potuit. *Ledran* (1) dicit, in enterocele, operationem maturius fieri non posse.

*J.-L. Petit* (2), volebat chirurgum aliquandò cunctari. Ex ejus sententiâ, si bonum esset mature operari, non est bonum citius operari.

*Richter* ferè ut *Petit* sentit. *Pott* (3), *Leblanc* (4), *Bell* (5), *Dessault* (6), professores nostri *Pelletan* (7), *Richerand* (8), *Boyer*, *Dupuytren*, *Marjolin*, suadent ut cunctando non amittatur preciosum tempus. Minùs tempore ex quo durat incarceratio, quàm intensitate symptomatum, celeriter incidendum est. Maximè imprudens est ille qui cunctat, cum solâ operatione tolli potest strangulatio. Convulsiones et gravissimas, breviter herniæ incisionem petunt. Accidit aliquandò ut solum advocetur chirurgus, cum accidentia sunt quàm maximè periculosa : quod non impedire debet quin fiat operatio, etiamsi gangræna incæpisset. Non ergo in hoc casu, ad hanc opinionem *Walschii* accedendum est : *Qui sectione hernias curare instituunt, videant priùs et diligenter inquirant an intestina per processus peritonei in scrotum delapsa, viæ angustiis quasi strangulata, gangrænam contraxerunt?* Tunc enim, etsi rectissimè secuerint, postridiè ægrotus certissimè morietur ; chirurgus autem eum necasse videbitur (9)

(1) De oper.

(2) De mer. chirurg.

(3) Oper. chir.

(4) Nov. method. oper. hernias.

(5) Lectiones chirurg.

(6) Oper. chirurg.

(7) Clin. chirurg.

(8) Nosograp. chirur.

(9) Curat. observat med.

## DE REBUS OPERATIONI NECESSARIIS.

Operatio herniæ inguinalis strangulatae quum necessariò efficienda existimatur, apparatus, quo ad hanc operationem et ad vulnus cooperiendum opus est, disponet chirurgus.

*Apparatus.* — Apparatus operationi necessarius constabit: 1° ex novaculâ; 2° ex scalpello recto vulgari; 3° ex scalpello cavato, in cavâ parte cuius est acies et in extremâ præpilato.

Professor *Dupuytren* ejusdem formæ scalpello utitur, sed cuius acies in convexitate sita est; utitur adhuc scalpello recto præpilato; 4° ex specillo sulcato et impervio; 5° ex pluribus volsellis in dissectionibus adhibitis; 6° ex forficibus rectis, in acumine hebetatis; 7° ex acubus ad ligaturas; 8° ex filis ceratis; 9° ex pluribus tenui texturâ spongiis; 10° ex vasis aquâ tepidâ impletis; 11° tandem ex aliquot cereis candelis, si necesse sit ut in obscuro loco fiat operatio.

*Res ad vulnus cooperiendum.* — Res necessariae sunt: multifore linteum, carptum linteum, fasciolæ agglutinantes, variâ formâ penicilla, inguinale bracherium, et aliquot spinulæ.

## DE ÆGROTI COLLOCATIONE.

Quum inter difficillimas chirurgiæ operationes, numeretur herniæ operatio, et aliundè accidere possit ut longius producatur, necesse est indè ut ægrotus, operator, ac etiàm adjutores, commodè collocentur, dum fit operatio.

Ex temporibus, nec non ex operatoribus diversa fuit ægroti<sup>i</sup> collocatio. Quapropter, *Franco*, *Sharp*, *Dionis*, *Bertrandi*, *Bell*, *Louis*, *Lassus*, *Sabatier*, quisque ex ingenio suo ægrotum disponebant. Sed ex omnibus suasis positionibus, nobis melior videtur subsequens.

Ægrotum in lecto operari haud difficile evadet, dummodò hic

stabilitus fuerit , et talem offerat altitudinem , ut chirurgus operando corpus plus æquo inclinare non cogatur ; oportet aliundè ut parùm latè pateat . Si nimis molles sint culcitæ , tunc , ad occurendum huic incommodo , expediet intrà duas superiores tabulam inserere . Quæ quidem ad pedes paulò altior erit quàm versùs caput . Ad fenestram disponetur lectus , ità ut ex pedibus ad caput lumen affulgeat . Subter sedem et superiorem femorum partem collocabitur pulvinar linteo coopertum . Caput , suadente *Winslow* , leviter in pectus inflexum sustinebitur ; femora et crura paritè flexa ab adjutoribus retinebuntur .

Sic se collocabit chirurgus , ut manus quà dexterius utitur , pedibus ægroti respondeat .

Patet indè , rebus ità dispositis , abdominales musculos omnino esse laxatos ; abdomen , ex superiore parte ad inferiorem , è pelvi ad pectus inflexam offerre superficiem , et chirurgum facile et sine defatigatione posse operari .

#### DE INCISIONE.

Eo modo quem suprà descriptsimus , ægroti et chirурgo collocatis , adjutor ex adverso operatoris sistet , ipsi instrumenta porrecturus , et in quibusdam operationis partibus auxiliaturus : alii adjutores ægroti membra continebunt .

Postquam chirurgus raserit , aut radi jusserrit partes in quibus efficienda est operatio , et vesicam urinariam depleverit , cutem primùm incidet à semi-pollice suprà angulum annuli externum , et producetur incisio , secundùm naturalem funiculi spermatici trajectum , usque ad inferiorem tumoris herniarii partem .

Ad hanc efficiendam incisionem , tegumenta , si sint mobilia , plicabit chirurgus , ferè perpendiculariter ad annulum ; plicatorum teguminum internam extremitatem tenebit adjutor , chirurgus verò externam . Uno ictu usque ad basim incidere tegumentum plicatum oportebit .

Si verò sustolli nequeat cutis, contendet chirurgus et fixa tenebit tegumenta, manu manui operanti oppositâ, incisionemque efficiet eo modò qui suprà indicatus est.

Permagnam cautionem, in illâ primâ incisione efficiendâ, adhibere necesse est; cutisque solummodo est incidenda. Namque, 1° varia deprehenditur funiculi cum sacculo connexio; 2° cuti intimè adhærere potest sacculus; 3° mediocrem tantummodo crassitudinem exhibere potest herniæ involucrum.

Si verò in illâ primâ incisione, aliquot secantur arteriolæ, exemplò ligandæ sunt, ne sanguis multus interfluens obstet operanti.

Resecatis igitur tegumentis, inquirere debet operator ubi jaceat testicularis funiculus, quem ex duricie canalis deferentis, vel ex arteriæ spermaticæ pulsu, vel etiam ex testiculi situ, agnoscat.

Quum pro certo tenet chirurgus, funiculum, neque in anteriore tumoris parte, neque in externo latere ipsius colli serpere, in opere tunc pergere potest, alterutram sequendo ex methodis quas modò sum indicaturus, et quarum utilitatem et incommoda breviter perpendam.

Quarum methodorum una consistit: 1° in resecando annulo, si constet ab illo effici constrictionem; 2° in reducendâ herniâ, intentatâ sacci henniaris incisione.

In alterâ verò methodo 1° secatur henniaris sacculus, 2° deletur causa strangulationis, 3° et partium è loco motarum efficitur reductio, si quidem fiat possibilis.

#### *Methodus in quâ sacculus non inciditur.*

Quum sacculus intactus relinquitur, atque annulus tantum secatur, nullum intestini laedendi intercidit periculum; neque pars illa, neque epiploon ad æris contactum adducuntur, nullaque irritanti tractatione excitatur sacculus. Certa quidem sunt hæc omnia commoda, sed tam gravibus repensantur offendiculis, ut prorsùs rejicienda sit illa operandi ratio. Reipsa quicumque sic operatur, is

periculum adit reducendi in abdomine viscera , herniarii sacculi collo , membranosis retinaculis , epiploone , vel cæteris strangulata . Si gangræna intestinum invaserit aut brevi sit invasura , in ventrem diffluent excrementa , ac proindè morientur ægroti .

Methodus igitùr quam indicat *Petit* , non expedit , ut præclarè contendunt *Richter* (1) et *Scarpa* (2) , nisi in veteribus , adhærentibus et amplis herniis , ingurgitatione strangulatis .

*Vulgaris methodus* . — Quùm ex methodo vulgari operatur chirurgus , acrior irritatio , quoad partes in herniâ inclusas , indè consequi potest ; istud verò incommodum numerosis resarcitur utilitatibus , quæ oriuntur ex visu et tactu viscerum plus minùsve strangulatione depravatorum .

Quapropter in operatione herniæ resecandus est herniaris sacculus ; quæ autem operationis pars , forsà omnium est difficilima .

#### *De sacculi incisione.*

*Richter* (3) , *Desault* (4) , *Lassus* (5) , *Sabatier* (6) ac plerique reccationes chirurgi præcipiunt primùm ut leviter incidatur sacculus et scalpello in obliquum ducto secentur versa herniaris sacculi soliola , volsellis sublata .

Alii chirurgi , in specillum canaliculatum , follicula incidunt ;

Alii usque in sacculum penetrant , secando paulatim et perpendiculariter , cum scalpello in quintâ positione tento .

Sacculi perforatio efficietur circà partem inferiorem herniæ , qñia

(1) De herniis , lib. I.

(2) De herniis .

(3) De herniis , lib. I.

(4) Chopart et Desault ; Opera. chirurg.

(5) De med. operat. , lib. I.

(6) De med. operat. , lib. II.

serum , in illâ parte , epiploonem et intestinum ab herniario sacculo vulgo dimovet. Eligetur locus ubi manifestius pateat fluctuatio.

Accidere potest ut lædatur intestinum, quantumcumque præcautum fuerit. Gravis quidem est ista læsio ; sed vitæ periculum , ut falsò contendit *Dionis*, non adit ægrotus.

Ubi levi incisione hiat herniarius saccus , effluit serum ; forficibus tunc , aut scalpello per digitum ducto , secundus est saccus , hinc usque ad inferiorem partem , illinc verò usque ad septem octove ex annulo lineas. Inciso herniario sacculo , si partes strangulatae gangrænâ non afficiantur , et si strangulatio in annulo resideat , tunc , magnâ adhibitâ cautione , tentabit chirurgus , si intestinum ex abdomen eruperit , majoren copiam elicere ; namquæ illo unico artificio , nonnunquam deleta est strangulatio (1). Si levissimo tractu non adducta fuerit pars strangulata , *ad dilatationem* , aut *ad sectionem annuli confugiet* chirurgus.

*Methodus per dilatationem.* — Methodus per dilatationem , quam præcipiunt *Lecat* , *Richter* , *Scarpa* et nonnulli alii , raro potest adhiberi ; rejicienda est præsertim , cum inter se adherent saccus et partes in ipso inclusæ ; cum infrâ annulum magnoperè tumet intestinum strangulatum ; cum vehemens animadvertisit constrictio ; cum densatum est sacci collum , etc.

Hæc methodus quum non sit admittenda , ad incisionem annuli confugiendum est.

*Methodus per incisionem.* — De ratione quâ efficienda est incisio , inter se dissentierunt , ac imò hodiè dissentunt chirurgi.

*Rousset* , *Pigray* (2) , *Fabrice de Hilden* (3) , *Heister* (4) et nonnulli

(1) *Ledran* , de operat. *J.-L. Petit* , operat. posthum. , lib. 11. *Richter* , de hērn. , lib. 1.

(2) *Epitom. de precept. med. chirurg.*

(3) *Opera omnia* , ann. 1682.

(4) *Instit. chirurg.* , lib. 11.

alii , ad pollices duas , suprà tumorem , incidebant ; usquè in peritonæam cavitatem penetrabant , atque ex interiori in exteriorem secabant . Hæc verò methodus , gravitè viciosa , jamdudùm vigere desuevit .

*Franco* (1) primus ex externâ in intimam partem secuit ; directò ad superiorem partem incidebat , atque magnam præcipiebat incisionem . Ad hanc sectionem efficiendam , privata instrumenta excogitaverunt *Bienaise* , *Mery* , *Garengéot* , *Petit* , *Morand* , *Ledran* , *Arnaud* , *Pott* , etc . Instrumenta nunc adhibita indicavimus , quùm de appartenente actum est .

*Directio in quâ fit incisio* . — In quânam directione secaturus est chirurgus , ut epigastricam vitet arteriam ?

*Garengéot* , *Heister* , *Mauchart* (2) , *Dejean* (3) , *Bertrandi* , pilam internam aut superiorem resecabant . Ex auctoribus verò *Junker* (4) , *Dionis* (5) et *Lafaye* (6) , pila externa aut inferior excidenda est .

*Ledran* (7) et *Ravaton* ex utrâque parte promiscuè incidebant .

*Sharp* (8) directò ad superiorem partem incisionem ducebat .

*Desault* (9) ex funiculi situ operabatur : extrinsecùs excidebat quùm post saccum animadverteretur funiculus ; contrà verò in parte superiore et intrinsecùs , si antè saccum aut in latere externo ejusdem sacci jaceret .

Suadebat *Sabatier* ut extrinsecùs fierit incisio .

*Scarpa* præcipit ut secus albam lineam excidatur , brevissimaque

(1) De herniis , ampl. tract.

(2) Disputat. chirurg. *Haller* , lib. 3.

(3) De Herniis.

(4) Conspect. chirurg.

(5) Operat. chirurg. , lib. 1.

(6) Ibid. nota ex eâdem paginâ.

(7) De operat.

(8) De operat chirurg.

(9) Operat. chirurg.

sit incisio ; quia , ut ipse contendit , ad reductionem viscerum semper sufficit.

Id adnotavit professor *Marjolin* , nempè , permagni referre ut incisio , si fiat ex methodo *Scarpa* , inchoetur suprà medium partem longitudinis pilæ superioris ; namquè si infrà efficiatur , accidere posset ut læderetur arteria epigastrica.

Professor *Boyer* annulum in angulo superiore et externo excidit , quotiescumque post partes latet funiculus ; quùm verò antè prodit , si sit intùs , extrinsecùs excidit , et vice versâ.

Quùm persuasum habeat professor *Dupuytren* ferè semper impossibile esse ut , antè operationem , dignoscatur connexio partium quibus est parcendum , directò ad summum et secùs albam lineam suadet incisionem.

Adhortatur professor *Richerand* , ut circà angulum annuli superiorem externum efficiatur sectio , quùm post partes latet funiculus ; si contrà antè illas appareat funiculus , arteria quùm extrinsecùs tunc jaceat , efficienda est intrinsecùs incisio.

Quùm igitur chirurgus locum eleverit resecandum , adjutor , ex ipsius jussu , sufferet ac dimovebit extremas partes sacculi herniarii , collo ejus proximas ; alter adjutor intestina deprimet si tumeant , quo facto , chirurgus manūs sinistræ indicem digitum collocabit immediatè infrà annuli partem , quam vult incidere ; dèinde dextrâ manu arripiet scalpellum , cuius præpilatam extremitatem , secùs indicis sinistri pulpam , inducet usque ad oram annuli , quem facilè secabit in longitudine lineæ unius et dimidiæ , aut duarum linearum , cautissimè presso instrumenti dorso.

Si inter sese adhærerent et partes herniosæ et sacculus , tunc necesse esset ut adhærentiam delere , saltèm in uno puncto , conaretur chirurgus , ad scalpellum in dilationem inserendum ; si verò id effici nequiret , tentanda esset annuli , ex parte externâ in internam , resectio , pluribus in circuitu ejus factis scarificationibus . Si tandem , istâ ratione adhibitâ , strangulationem solvere prorsùs esset impossibile.

bile, superesset persugium, quod olim adhibuit *Arnaud*, nempe intestinum secandi propè annulum, ac deinde hujus aperturæ oram, ex parte intimâ in externam, sicut et intestinum excidendi.

Factâ incisione, chirurgus extrâ annulum, intestini partem in eo inclusam, educet; et si intestinum non contrahitur, si non sit obdurate, colore nigro, aut jàm gangrænâ affectum, herniosas partes reducet. Quo facto, digitum in annulum inseret, ut certior fiat nullum aliud internum patere retinaculum, cuius necessaria esse posset resectio.

Reductis partibus, in vulnus apponentur multifore linteum, ac deinde carptum linteum, et aliquot penicilla: hæc omnia inguinali bracherio continebuntur.

Ægrotus in lecto decubitum servabit ferè similem huic quo per operationem jacebat.

**DE COMPLICATIONIBUS QUÆ ACCIDERE POSSUNT NOBIS NUNC EST DIS-  
SERENDUM.**

1° Partes ex quibus constat hernia, aut sacculo herniario, aut inter se, ac simul inter se et sacculo herniario adhærere possunt. Hæc verò adhærentiæ seu adiposæ seu capillatæ, aut cellulosæ esse possunt; delendæ sunt, si sit possibile; sæpè in his postremis dirimendis, magnæ intercidunt difficultates.

Parcendum est adhærentiis intimis et amplissimis intestini et epiploontis cum sacculo.

2° Accidere potest ut intestinum uno vel pluribus epiploicis reticulis stranguletur: delenda sunt reticula.

3° Quùm hernia est congenitalis, testiculus epiploonti adhæret: dirimenda est ista adhærentia.

Si intestino adhæreat testiculus, gravior est casus; cautissimè tunc

secunda est tela cellularis, quæ duo illa organa connectit. Si verò nimis ampla sit adhærentia, testiculum cum intestino reducere convenit.

4° Accidere potest ut obduratus aut globatus epiploon, gravem et amplam exhibeat molem, quam reducere esset periculosum; eam dese-  
care, arterias ligare, et partes reducere, oportet.

5° Quùm gangrænâ afficitur epiploon propè partem sanam, re-  
secunda est pars mortificata. Quidquid enim tabidi supererit, suppura-  
tione disfluet.

6° Gangrænâ affici potest intestinum, quùm una tantùm ejus am-  
plituduis pars, annulo stringitur: si jàm rimis non dehiscit, inciden-  
dum est intestinum, et parcendum tamen adhærentiis quæ in circuitu  
annuli sunt.

Quùm in tumore ansa plus minùsve ampla resideat, vehementius  
procedit gangræna; in superiore et in infimâ parte intestinalem in-  
vadere potest canalem, ac mortem celeritè adducere. Si verò  
intestinum in herniâ inclusum tantummodo afficiat gangræna, tota  
resecabitur pars mortificata, et in vulnere duæ pretinebuntur intestini  
extremitates.

---

## TERTIA PARS CURATIONIS,

### AUT CURATIO POST HERNIÆ REDUCTIONEM.

Curatio post reductionem herniæ, pro circumstantiis variatur.

1° *Si solo taxi reductus sit tumor*, stat omnis curatio in applica-  
tione ligamenti, quo viscera continentur in cavitate ventris. Hoc  
ligamentum annulo magni obliqui apponetur. Primis in diebus cùm  
in lecto jacet æger, ligamentum vulgò dictum *spica* perfectè cura-  
tivæ indicationi respondet; sed mox perutile erit bracherium.

Chirurgus ipse, post herniæ reductionem, hoc ligamentum ap-

plicare debet ; nām sic agendo , vitabit accidentia quāe semper oriuntur , cūm bracherium viscera elapsa non autem annulum premit. Ligamentum arte applicatum , non solum herniam continet , sed aliquoties sanationem affert , annuli obliteratione : quod præsertim apud infantes observatur.

Reductione effectā , per aliquot dies quiescat æger : diætam observabit;

Potibus relaxantibus utetur , ut fusa maneat alvus : deniqūe cavebit ne minimum quidem conatum admittat.

2o *Si facta fuerit operatio* ; linteum multifore , tenuē , et cerato obductum , in vulnere operationis apponetur ; insuper addentur carptum linteum , penicilla , et ligamentum ad hoc confectum . Nonnulli etiām chirurgi conjunctionem partium primā intentione proposuerunt.

Generatim suadent auctores ut aliquot administrentur purgativi , post operationem , eā mente , ut aiunt , excrementorum fusionem restituendi . Quāe verò rationes nonne essent periculosae , quūm jam intestino imminet inflammatio ?

Demulcentes et antispasmodici potus ægroto administrantur . Diæta severa ei præcipitur . Si inflammatio pertimescenda videatur , copiosa efficietur sanguinis emissio , et ad remedia antiphlogistica , scilicet balnea , emollientia , etc. , confugiendum erit . Si intestinum in sacculo herniario inclusum gangrænā afficitur , remedia adhibenda erunt , de quibus nobis non est disserendum .

FINIS.